modò votis Deus annuat. Pluribus te obtundere supersedeo. Vale et vive nostri memor. salutabis nomine meo D. Freitagium, Altingium, Tobiam Andreae, et uterque salvebit à Barone et Comitibus. Lugd. Batav. 30. July 1642.

T. N. addictissimus
J. Philemon.

Inscriptio.

A Monsieur, Monsieur Hipstedt, Gouverneur de Monsieur Freitag pour le present à Embden.

303. Quamprimum res haec erit integra, faxo, ut exemplar ceterorum amicorum tu exemplum à me habeas: secundas autem feret Dn. Breittingerus noster: cui opportunè literas nostras transmittere poteris. Suaseras aliquando ut litteris meis compellarem Cl. virum Dn. Lucam Chmielecium Medicum Mulhusinum. Quod nunc demisse facio, teque oro ut sortem meam, optimo illi viro rursum commendare velis. Patrueli etiam meo Gallo Pareo iterum aurem vellito litteris meis. recreavit is me optimo nuncio de fratris Davidis Parei Capitanei παλιγγενεσία. Rediit enim in gratiam cum Ecclesia Christi à qua ad Antichristianam fecisse defecerat. Quo nuncio mihi sane gratior nullus esse potuit: Nunc militat Gallo sub vexillis Helvetiorum. Utinam maneat ἐν πίστει nec redeat ad vomitum. Ego tibi mi Charissime Dn. Compater et frater senectam meam commendo ut si qua possis me sublevas. Duram enim ago vitam: neque durius, vivo quod non licet pedem hinc movere, cum viribus omnibus exhaustus poene sim adeò ut tripes incedere cogar. Eâ parte tamen felicissimum me agnosco quod Deus in effœto corpore animum mihi largitus tranquillum, et φιλόπονον: tametsi non pari successu, quo olim, cum sanguis adhuc integer esset. Laboro, quantum possum: et nunc totus sum in reliquiis monumentis paternis ad Coelum adornandis, sive post fata

editio

editio demum sequentura sit. Incidit etiam in miro quodam fato in manus meas ἀνέκδοτος commentarii de lingua latina et eximii Consulti Huberti Gifanii, quem ut tibi constare arbitror, olim Gaspar Scioppius ὁ πλαγιάριος et scriniis authoris compilarat Ingolstadii. Illum sub limam revocabo hac hyeme, et ad futuram aestatem publicabo σὺν θεῷ. Est opus plane incomparabile, cui ego simile nullum unquam vidi. Copiam ejus tibi faciam ubi fieri poterit. Scripseras aliquando, litterarum commercium te cum Scioppio colere, quem et ego olim juvenis juvenem familiariter noram. Quaeso te, ubi locorum vivit? et quid agit? mirabitur is, nisi fallor, si viderit plagium suum nunc publicatum detectum. De Amirantius vero, dum apud nos efficeret semestre, a me acceperat opera Ovidii quae alio exemplari mihi compensanda promisit. Sed nondum praestitit. Quaeso salutato et mone: atque in aurem suggere, mihi longe fore gratius, si ab Ecclesia sua aliquod subsidiolum, cujusmodi etiam sit impetraverit, unde non tantum Ovidium emere possit, sed aliquid etiam vitae pro refocillatione senectutis meae. Vides quo redigar miser γέρων. Tibi tuaeque familiae Deus ἄνωθεν longe benedicat, ut mihi et Ecclesiae diu superviva. Ego hic ero et sum quod sum. Vale charum pectus, et ama. NB.

Tuum Parcum

Monsr ne trouver pas estrange que je vous donne le titre du Capischol qu'est un mot Narbonnois, quasi caput-Scholae

Ex frigido meo Musographeo Hanov. 1642. a. d. 14. 9br.

Salutant te Ducheriana λείψανα, uxor mea et socerus.

A Monsieur
Monsieur Toussain Capischol du College
à Basle.